EQVITIS POL



7 E. 8°


Prophetia S. Hyldegardis Brouii T. XV.
Fol. 465.
Saluatores nominantur. ab Equite. fol. 4.

1626

Joannis Broscii Curzelomensis Medicinae Doctoris ordinarii Astrologi. post mortem ipsius Bibliothecae maioris Collegii in Academia Cracouiensi. rogat autem vt omnia quae hic inserta sunt, integre ad posteritatem conseruentur alioquin vnitatem hanc

Destruenti anathema
Conseruanti benedictio.

500.



IX. 10. 1.

Contactus . ad punctum

Vulgaris hic oculus caligabit diffidetque plurimum.
Procul este prophani.

inter 9 et 10 reponitur Proca Dawidowa Zahrzevii Calissii impressa, etsi locus non exprimatur, scriptum maledicum ab ipsis Iesuitis consarcinatum sub nomine Zahrzevii ipso consentiente evulgatum. omne enim quod in illo continentur ego audivi ex ore Friderici Szembek Iesuitae, audiverunt et alii. Zahrzevius vero parum Graecae studuit, atque Bursarum consuetudines nullo modo scire potuit alio, quam ex relatione Iesuitarum tragoediam istam adornantium.

Contenta in hoc volumine

Ioan. Mariana Hispanus Iesuita libro 220
Antiquis temporibus qui ex Monachis Episcopi ac summi
Pontifices extiterunt numerare vix licet, nostra aetate
vix unum aut alterum eorum non tam vitae integritate
quam malis artibus ambitiosos ecclesias esse potitos
consideramus. Vide totum illud caput.

pedagog

N° 1-19. variis

Cim. 5622-5640

Pedag. pol. 202-220.

XIX d 24.

215

CONFVTATIO CONVICII

A

F. Stanislao Zákrzewski, Ordin: Canon: Regul.

CONTRA ACADEMIAM CRAC. In Comitiis Warſzawien. IACTATI.

à

M. Iacobo Vitellio eiusdem Academiæ Profeſſore, & Facultatis Philoſophicæ DECANO.

Gm 5635

CRACOVIÆ,
In Officina Typographica Franciſci Ceſarij.
Anno Domini, M. DC. XXIII.

AD AMPLISSIMVM REIPVBLICÆ EQVITVM ORDINEM.

Jlluſtres & Magnifici Domini, Domini & Patroni Maximi.

CVm Sanctiſsimi Reges Academiam Crac. excitarunt & propagarunt, etiam à Vobis ætate conſequente, ornandam tuendamq́; voluerunt, vt quos habuimus dignitatis Academicæ autores, eoſdem habeamus in poſteritate conſeruatores & Patronos. Paucos ante dies vehemens Staniſlai Zakrzevvski in nos impreſsio, cum famæ noſtræ graui diminutione, nonnullam etiam Ampliſsimo Veſtro Ordini attulit offenſionem: Nam ſi ille Academicos dignos putauit, quos ad internecionem vſq; lapidibus perſequeretur, Conuentus Ordinum Reipub. florentiſsimus quid commeruit, vt illi de rebus grauiſsimis occupato tam probroſa offerantur? Si nos petebamur, quid fuit neceſſe cogitationes de Repub. præclaras lapidum iactatione perturbari & diſsipari. At ex nobis mali naſcentis extitit initium. profecto ob alicuius, ſi quod fuit erratum, omnes ad pœnam raptari minime fuit conueniens. Quare dum noſtri nominis, quàm maximè decet, apud Vos prudentiſsimos rationem habemus, humiliter rogamus, ne patiamini tanta ætate collectam Academiæ exiſtimationem, maleuolentia vnius ad ludibrium recidere: dumq; ſe ex ore obtrectatoris, honeſtas eximit Academica, non prius Inclyti proceres, quàm quid ſit in cauſa cognoſcatis, iudicate.

SI quantùm cuiuspiam insolens audacia ad odium contra bonos inflammandum, & inuidiam excitandam potest, tantùm apud prudentes, & circumspectos rerum æstimatores valeret, nihil esset quod quenquam, aut ipsius innocentia, aut vita cum honestate, & dignitate traducta, consolaretur. Ita enim maleuolentia suam criminandi rationem communit & adornat, vt cum grauissima conuiciorum tela, in alienam honestatem iecerit, tum illud vnum assiduè meditatur, vt præoccupatis, & ad credulitatem appositis omnium animis, omnem defendendi sui rationem eripiat, & præuertat. Præclarum nobis suæ moderationis documentum, ac nescio an non hostilis animi argumentum, paucos ante dies dedit, furens ille contumelia fundibularius, quem, cùm maledicentiæ suæ æstus, transuersum abripuisset, iniquiore (quàm illi fas erat) vultu, petulantiore spiritu, liberiore verborum strepitu, barbariei exprobratione, omnia honestatis, & professionis suæ iura, contriuit & conculcauit; ita vt vberior & prolixior conuiciorum seges in quenquam effusa ex omni memoria deligi non possit. Eiuscemodi ille rumoribus ex triuio arreptis, quos omnibus circulis falsò indagasset & collegisset, nos oppressum iri credidit, quibus non nemo

etiam innocentissimus circumueniri possit, alienâ culpâ falsos sermones dissipante. O praeposteram fortunae nostrae conditionem, nos prius telis, quàm sententijs, prius conuicijs quam iudicijs appetitos cecidisse! quorum defensio praeoccupati iudicis incitatio, silentium rei supplicium, si defendo inuisus sum, si taceo damnatus.

Sed magna me spes tenet, aequitatem causae nostrae, obtrectatoris licentia nobis non dissimulanter infesti afflictam, amplissimorum Ordinum prudentia, erigi & recreari posse: quandoquidem in rebus iudicandis, per magnam partem ad vnam quamq; rem suo momento ponderandam, sapientia iudicis tenet. Illud me duriore loco constituit quod tanto interuallo, post dissipatam de nobis acerbissimam famam, tanquam flammam restinguendam non subitò accurrissemus. Sed primùm doloris magnitudo, & non expectati mali euentus, omnem sensum & propè memoriam, nostri defendendi auerterat, cum videremus ea omnia, quae cuiusquam honestatem & integritatem expugnare possunt, vno momento in nos cecidisse & confluxisse. Hoc etiam ad cumulum nostrae infaelicitatis accedebat, quod cùm praela non sint nostrae facultatis, cum illis iuris nostri deplorandi, & persequendi, tardauimus potestatem. Sed quoniam iste Academicomastix, ad hoc turpe voluntatum dissidium feralia signa videtur praecinuisse, non illud spectabo, quid

quid ipsius verborum petulans iactatio ad respondendum, quàm quid communis nostra & tanto tempore, tot laboribus & officijs collecta existimatio ad defendendum requirat. Non enim fas esse ducebam, nec mihi persuadere poteram, tot suspicionibus deditos, tot probris ad satietatem vsq; & fastidium conuiciatoris coopertos reticere, ne quispiam modestiam in conscientiam verteret. Cum verò, infesta & præcipiti efferuescentia, in nos, nunquam malè de homine eiuscemodi meritos incurrit: hic mihi per quàm facilis defensionis campus aperiretur, si hæc non tàm ex veritate, quàm ex conuiciandi cupiditate profecta esse dicerem, hominem ad contumelias in vnumquemq; iaciendas, à natura factum, educatum, ætate procedente, & audacia succrescente, confirmatum, qui hac tam acerba & odiosa nostri insectatione, voluit occupare animos eorum qui legunt, vt difficilis aditus veritati relinqueretur: non difficile, fidem, & authoritatem, contumelioso Menippo, inimicitiarum suspicio derogaret. Sed non vtar hac contrita & tralatitia amoliendi à nobis crimen ratione: Aggrediar ad illa flagitia, quæ ille nobis cum capitis vniuersam famam nostram arcesseret, contumeliosissimè obiecit.

Huius autem in nos eruptionis, causam sibi iustissimam prætexit, pietatem in suam altricem, & formatricem

tricem Societatem. Hic meritissimo iure licet exclamare, quod est apud Pindarum, prætextus in densas virtutem compulit tenebras, nisi hoc prætextu mentis suæ lumina obstruxisset, aliquid forsitan veritatis videre potuisset. Quocirca quæ tibi pietas, impiam causam præbuit, in nos insiliendi, ea quoq; mihi iustissimam dabit, meam parentem à tuis calcibus defendendi. Sed videte virum probum, qui cum omnes pietatis calculos subduxisset, omnes gradus percurrisset, quod suæ Altrici, suæ parenti, à qua omnem didicisset modestiam, impietate, & conuicijs in nostrum honorem iactatis, litauit. Quisquam ita imprudenter, & impudenter sacrificasset? quid hoc aliud est, quàm benefacta maledictis pensari? institutionis præmia, rubore institutorum, & numerosis conuicijs refundi? Societas si nescis ea est, quæ multiplicibus illisq́ amplissimis virtutibus, ita inter se consociata est & cohæret, vt nihil indè, quòd sit aut à cupiditate profectum, aut vehementiore aliquo animi impetu expressum, haurire potuisses. Virtutum illa est officina, non litigandi palæstra: Illi tibi Magistri, quos diuturna in virtutibus præclaris mansuefecit exercitatio, continuus ad omnem submissionem perpoliuit, & durauit in bonis studijs labor, ad eam animi impotentiam præiuissent? Apud alios istam tuam disciplinam iacta, mihi nunquam persuadere poteris, te aliquando illis imbu-

endum tradidiſſe, hanc enim feritatem, & licentiam, cum modeſtia, & animi lenitate, permutaſſes. Iam non tu nos, ſed nos te ex fructibus iſtis cognoſcimus. Profectò tu mihi videris, laureolam in muſtaceo quæſiiſſe, nec magis à ſancta Magiſtra bonus diſcipulus, quàm ex alicuius coracis nido, inauſpicatâ garrulitate odioſus clamator proſiluiſſe, cum nihil præter os, & audaciam Societati, præſtitiſti.

At primum impietatis crimen, nobis inuidioſiſſimè affingit, quod nimirum in herbeſcentem ætatis iuuenilis viriditatem, nullam virtutum, & pietatis, conſitionem procuremus. Magnum profectò, & ad opprimendos innocentes, appoſitum telum, impietatis accuſari, quippe in oculis, & luce eius Reipub. quæ tanto interuallo Sanctiſſimorũ hominum propoſitis exemplis, ad vitæ Sanctimoniam, & Diuinum cultum fæliciſſime effloreſcit. Verùm quibus argumentis, quibus teſtibus, hoc ipſum planum faciet? Societatis, & Academiæ Magiſtrum, in Scenam producit, vt illum ſpecioſis titulis ornet, iſtum omnibus probris oneret; alterum laudet, alterum collutulet; alium frugi, & continentem, aliũm luxurioſum, & diſſolutum, falſo & accuſatorio animo conuincat. Videas (inquit) Academicos ad popinam, Societatis Magiſtros ad lucernam, vigilantes: alios lychnũ, alios temetum olere: alterum præ ſtudijs honeſtis, alterum præ

conſe-

consectandis suis illecebris, nullam nocturnæ neq; diurnæ quietis partem posse habere: quid hortorum ociosas inambulationes, quid quæ honeste nominare pudor reformidat, nobis contumeliosissimè obiecta referam? Quæ inepta & illiberalis dicacitas, scio quod compluribus, etiam extra insimulationem culpæ positis, primò risum mouit, alijs ita stomachum fecit, vt ad stoliditatem istam ingemiscentes frontem penè ferirent.

Ain tu fidelissime morum alienorum inspector, hac tuâ domesticâ obtrectatione, nos in eo turpitudinis cæno volutari? quibus indicijs hoc ipsum reuincis, quibus vestigijs ad ista vitiorum nostrorum cubilia subrepsisti, cum nec vbi sit Academia, nec quibus legibus apud nos viuatur vnquam didiceris? Cum albus an ater sit quisquam nostrum cognoueris neminem (quanquam omnes illoto sermone, & omni genere obscænitatis adspersisti) An ex inanibus famæ alienæ inuidentiũ rumusculis, hoc ipsum arripuisti? vehementer lætor, quòd in nobis nihil eiusmodi reperire potueris, quod non ad communem, & vsurpatam, conuiciatorum licentiam, crimina etiam in innocentes iacientem, referatur. Si te ad istam continentiam natura non instituit, aliunde nihilominus poteras didicisse, magno interuallo, maledictionem, & accusationem, vtrinq; abesse, accusatio testem, criminis explicationem, argumenti confirmationem requirit,

male-

maledictio, nihil habet propositum, præter cõtumeliam, quàm non magis in nos, quàm verò in tuam famam distrinxisti, & primùm maledicẽdo, ad hominum cognitionem quàm benefaciendo, nomen tuum produxisti; oportebat autem, vt quantum à rerum turpitudine (si ita est) abes, ita te à verborum libertate seiungeres, nisi eam tuæ existimationi maculam velles esse inustam.

Nos omni genere vitiorum diffluere? ex quibus vnum quemq́ primum suus pudor, non ita vt tu putas profligatus sepsit, deinde leges à Sanctissimis Fundatoribus, ad normam viuendi datæ, & publicè, & priuatim, intra cancellos honestatis definierunt. Quid ipsa temporis, nobis ad officia nostra euolantis angustia, quæ vix à laboribus nostris, respirandi spatium concedit, tantum abest vt à negotio ad otium, à ratione, ad suas cupiditates persequendas, cuiquam locum relinquat. Quid paulo durior vitæ Academicæ fortuna, quam non opulentia, sed animi æquitas, & tollerantia circumscripsit, hæc ad luxum cuiquam prætulit facem? multi otij, insolescentis fortunæ, animi sua opinione tumefacti, extrema comes luxuria. Non succurrit tibi in mentem, si inferiores lacessere volebas, esse in cætu Academico, complures sacerdotes, Excelsi filios, qui Dei Optimi, ac Maximi, expressiorem quandam induerunt effigiem, quæ illos à communi cætu, quasi nota distingueret ac separâret:

râret:

raret: manus illas quæ pro nobis ad cælum quotidie tenduntur, quæ tot annos pro fortuna, pro incolumitate Reipub. occupantur, tuis noxis contaminari? Iam illud verum est, vt quisq; optimus est, ita difficilè alios improbos suspicatur; non nos quæso ex tua fingas consuetudine. Si igitur tibi pudoris communis, si legum, si occupationum nostrarum, si Magistræ officij paupertatis, si deniq; Sanctissimi Sacerdotij veniret in mentem, nunquam te ad eam maledicentiam instruxisses, vt religiosus irreligiosa audaciâ, in nostrã grassareris innocẽtiam.

Sed attende tantisper dum aperio, quàm pugnantia tecum loquaris, vt non tanta mihi, quanta tibi sit tecum, discordia. Cælestium inanes Academicos omnibus lacertis contendis, ijsdem Canonicatus, & Parochias, exprobras. Quid tibi venit in mentem, vt eosdem & laudares, & læderes, nunc pro Ecclesia sollicitos, nunc supinos, & oscitantes in religione diceres? Non diuitiarum, sed virtutum, illa sunt instrumenta; non otij, sed negotij, multùm pro bono Ecclesiæ sudantis; ita enim Academia studia sua ordinauit, vt ne festis quidem diebus, quibus alij ad suas ferias abeunt, nobis concederet esse feriatis. Alia est, inquis, Scholæ, alia Parochiæ ratio. Ego ita semper existimaui, omnes Scholarum fructus ad Ecclesiæ vtilitatem corriuari, inter quæ cum tu diuortium facias, sine scholâ Ecclesia, te sequestro,

stro, res suas non habebit. Habet, inquis, Canonicatus (tuo vtar verbo) sua negotia. Quod si tu paulò vnctiorem fuisses nactus, dic mihi quid negotij ageres? Exiguos illos scias census, & stipendia magno & diuturno sudore comparata, vnde magnam partem alimentorum suorũ paupertatis nutricula Philosophia corrogat.

Ignorantiam, graue & nobis pudẽdum maledictum, obijcit. Nam profiteri velle id, cuius nè minimam partem attingas, hominis est, intemperanter abutentis, & otio, & literis. At quis tibi tàm acerbam, in nos suggessit criminationem, cum nunquam Academica limina, nè à longè aspexisses? nunquam te imbuendum nostris præceptoribus tradidisses. Tum longo ordine doctissimos quosq́ ex Societate recenset, vt eorum numerosâ acie explicata nostram percellat paucitatem. Facile patior compluresfuisse ex ea familia, qui bibliothecarum forulos, doctissimis suis complessent scriptis, & barbariem, quasi herbam irriguam subolescentem, satis fæliciter perpurgarint. Belarminum, Ecclesiæ Bono ex Societate productum, quis vsq́ satis deprædicet? qui suis vigilijs ita Ecclesiæ profuit, vt facilè dignitas eius sine lumine alienæ prædicationis, in omnium oculos incurrat. Admirabilis illa (vt reliquos taceam) Suaresij & Valentiæ in explicandis difficillimis quibusq́ nodis, fælicitas cuius non rapiat sensũ & cogitationem? Quid referam

alios,

alios, quos recensuisti, scientiarum cognitione, linguarum interpretatione valdè quam celebres. Sed nunquid aliena virtus, quæ se extulit clarissimè, cæterorum vnquam præstrinxit splendorem? An quia sol, cum vniuersum orbem radijs longe latèq; diffusis, collustrauit, cæteris luminibus, proferendorum fructuum, in his quæcunq; Lunæ complexu coercentur partibus, eripuit potestatem? Quod si tu mentem tuam in admirationem ita notæ & celebris doctrinæ inflexisses, mihi crede, non hæc tonitrua, ex illis omnis doctrinæ & virtutum narthecijs collegisses, neq; tibi vnquam persuaderes, vt quos lapidibus opprimere non posses, eos sententijs iudicum dederes. Aut si tu fortè homo omni scientiarum supellectile abundantissimus, hominem præ te putas neminem; tamen, si vnam cerebri atomum habuisses, nunquam te ad eum errorem præcipitasses, vt tua opinione plus nimiò inturgescens, per alienam contumeliam, ad nominis celebritatem, ex tua prudentia quærendam, aspirares. Nam cum omnis arrogantia odiosa est, tum illa ingenij non ferenda. Nunc verò pro tuo isto ex sapientia collecto supercilio, omnibus pueris, magis quàm ille in officina Apellis te ridendum proposuisti, quod de ijs loquaris rebus quas non didicisti.

Quo tu nobis argumento, qua fide, qua fronte, notam barbariei appingis? quod nullos libros quasi illustria

ſtria doctrinæ Academicæ monumenta ad poſteritatem prodideritis. Quàm leue, quàm infirmum, quàm nugatorium teſtimonium. Socratem ipſum Apollinis iudicio, in ſapientia principem nominatum, tàm graui autoritate iugulaſſes, qui cum omnes ſcientias facilè propè diuino ingenio comprehendiſſet, & cælo Philoſophiam delibatam, terris communicaſſet, nihil tamen eiuſmodi fecit, quo poſthumâ memoriâ, doctrinæ ſuæ nundinationem quæreret. obſtetricis vice ſe defunctum dicebat, quæ parturientibus adeſt ipſa parere non poteſt. Falleris profectò ſi credis vt quisq; ſcribit, ita continuò eius commentatio aut theatrali ſignificatione, aut concionali applauſu excipiatur, tenet inſanabile multos dicendi ſcribendiq; cacoëthes: niſi forte hæc tuæ in nos tam barbaræ voluntatis expreſſa teſtificatio Iouis auribus ſit digna. Sed vt intelligas, quàm non vana & ocioſa, verùm celebris, & bonarum artium fæcunda, fuerit Academia noſtra, palam eſt omnibus complures ex noſtris, qua in diuina ſcientia, qua in Philoſophia, in Matheſi, Eloquentia excellentes, nomen Academicum ad gloriam & celebritatem Imperij iſtius, etiam apud exteros protuliſſe. Nulla ætas extinguet ex animis hominum, admirabilem in dicendo vbertatem, duorum Theolog. Expolit. ad B. Virg. in circulo Crac. Oratorum, quorum ea fuit flexanima eloquentia, vt confertiſſimam populi

 frequen-

frequentiam, quo vellet emolliendo inflecteret; eorum alter, quod nemo ante illum, primus Biblia Sacra vernaculo & natiuo sermone, ad popularem protulit intellectionem. Cui operi explicatius consumando, tametsi vulgati interpretis multùm opis attulit sudata industria, tamen ad plurima, ex abditissimis inuolucris in lucem proferenda mysteria, Hebraicæ scientiæ lumen fuit præferendum. Quid Ioanne Cleparz apud Sereniss: Sigismundum Augustum doctum & pium Concionatorem referam? cæterosq́ complures, qui vocem suam & doctrinam, populo publicè ad fidem & pietatem instituendo præstiterunt? At eorum (inquies) memoriam, eadem mors quæ vocem extinxit, consecuta: nihil ex diuite ingenij sui fertilitate, in publicum protulerunt. Distracta scias inter se sunt, scribentis, & docentis officia, scriptor, profundo ocio, animo ita ad rem suam attento, vt à cæteris se quàm maxime secernat, opus habet, docentem autem, quæ non agmina molestiarum circumsepiunt? Tametsi plures modo transcriptores sunt, quam scriptores, plures personam, quàm faciem malunt, nihilominus eandem Thesei nauem dicas, quæ in locum antiquarum, aliis coaptatis constat commissuris.

Nostrorum Mathematicorum in rebus grauissimis & difficillimis consilia ab exteris etiam petebātur. Bellica gloria clarissimus Matthias Hūniades Rex Hūngariæ, Ma-

riæ, Mathematicæ ſcientiæ valde quàm appetens Crac. Mathemat. accerſebat, qui poſtmodum viſendo opere inſtrumenta Mathematica Regiæ liberalitatis, & ſcientiæ monumenta in Bibliothecam noſtram intulerunt. Nè antiquitatis annoſam explicem memoriam, hoc ſeculo, celebris inter alios in Matheſi Copernicus, ex Academia Crac. vt honores Academicos, ita & ſcientiam ſuam prompſit, quam in cognitionem omnium deprompſit. Non minus celebres fuerunt in Matheſi Valentin: Fontanus, Gabriel Ioannicius, qui propter eximiam ſcientiæ illius præſtantiam, incredibile deſiderium, eruditorum animis reliquerunt. Illuſtre nomen ab eloquentia commeruit Iacobus Gorski, qui Rethorica, & Dialectica præcepta, ita Ciceronis diſtinxit locis, vt nihil ſit in Cicerone, quod non inueſtigaſſet, & in locos ſuos ad vſum poſteritatis tranſtuliſſet. Societas ipſa, an non magnam partem per hos in Polonia inclaruit, quos ab Academia habuit, (cui iniuriam facis quod non omnes enumeras.) Sed perfectionem iſtis attulit Societas? & Academiæ non fuiſſet operoſum eos perficere, quos induſtria ſua in dies perficiebat, & acre limabat iudicium: tametſi verò vt tu putas non perfeciſſet, quos aliò alia, pertraxit cogitatio, nihilominus, Fontem vnde hauſeris corona. Alius fuit in Societatem, & Academiam Petrus Skarga. Societati attulit ornamentum (non vt

tu con-

tu conuicium) Academiæ præclaro suo scripto erexit, gratitudinis monumentum. Disertissime Nestor Sarmatice, vixisses, quem sua non continet in officio modestia, authoritatis tuæ reuerentia castigaret, pro tua illa nobis expressa gloria, impressa contumelia. Sed neq; nunc tametsi in plurimas partes deducti, exaruerunt fontes nostri, habentur doctissimi Theologi (quanquam non facile credis) prudentissimi Iureconsulti, accuratissimi in suâ arte Medici, acres in disputando Philosophi, neq; illã quæ ex leuioribus studijs percipitur amænitatem, in feracissimis Academicorũ ingenijs quisquã desiderauerit.

At hîc mihi ridiculè nugari visus est, dùm autoritatem iudiciorum, ex inspectione stellarum, à Mathematicis perquisitorum, conuitio à forensi turba petito, eleuaret. Apud eos nimirùm, fluxam fidem, ob tempestatum, & aeris constitutionem, oppidò quàm incertam, & instabilem. Optabam profectò vt tuâ ignoratione ad tuendam Mathematicæ dignitatem abuterer: sed quia diligentia inimici inuestigatum est quod latebat, confitendum est vt opinor, ita tamen, vt non sit apud te, vexatæ, & contritæ, Mathematicæ perfugium quærendum Mathematicis tu imposturam? quid ita, quia aliter res eueniunt, quàm illi prænunciant; quis iam tibi verbum vnum credet, cum etiam aliter sit, quàm tu de nobis omnibus theatris prædixisti. Illos quidem cau-

sarum

sarum diuersarum coagmētati influxus, loci remotioris distantia, te verò quid ab insania vindicet nō habemus. Itaq; si Mathematici ita veritatis proditores, vt tu eiusdem vindex, & assertor, neutrum cohærebit, cum nec eorum, ita vt tu putas sit instabilis, nec tua stet recto talo veritas.

Neq; vero existima quòd nos apud prudentes causæ istius cognitores luculente calefeceris, cùm raritatem nostratium Philosophorum, Oratorum, Poetarum, & istiusmodi aliorum, nobis tanquam probrum obieceris. Non diffitemur, multitudinem talium, in quadragenario numero, reperiri non facilè posse, addo etiam nec debere, ob varietatem quibus adstringimur Professionum, imò gratiam debeo, quod non omnes proscripseris, quanquam non asterisco, sed stylo ad sensum & memoriam acerbo, compunxeris. Sed an tu credis Philosophiam prostare in publico, cuiuis se offerentem? an ita censes reperiri Philosophum quod pueri in fabis? Cum & illi veteres Philosophi, qui se sententiâ suâ appellarunt sapientes, indulserunt sibi, quàm par erat vehementius, nisi inuidiam nominis imminuisset Pithagoras, qui nihil sublatius de se locutus est, cum se studiosum sapientiæ appellasset, cupiditatem duntaxat adipiscendæ sapientiæ, quam vnicuiq; natura inseuisset acriorem in se esse ostendit. Non est Philosophia arrogantiæ & elatioris

animi

animi Magistra, sed commotionum humanarum moderatrix, vnde si & tu vel leuiter hausisses, non ita nobis frigidam affudisses: quanquam Litem ab Empedocle arripuisti, quâ omnia diuina & humana permisceres & confunderes. Gratulamur iam seculo nostro, ad tantam fæcunditatem, & multiplicitatem Oratorum, gloriosissimè se se efferenti, hoc nostrum, propter te, fertile, & fæcundum est, quo non nisi ad busta eloquentiæ, scelere parricidæ Antonij exanimatæ, cineres sparsos colligimus; illud mutum & infæcundum fuit, cum ipsa animata Eloquentia, illa orandi norma, illa Musa Latina, è Rostris populo Romano concionaretur, & seipsam in sinu suo, in diuite rerum & verborum suppellectile, quæreret, neq; sensu pulcherrimam, & absolutam sui imaginem cognouisset, nisi Idæa comprehendisset. Retexe Marce Tulli, tuam de perfecto Oratore tractationem, tam eras hebes, tam à sensu alienus, qui nascentis post te sæculi, vbertatem, aut non videres, aut inuideres. Habes alium Brutum cuius gratia nouam, vetere in spongiā incumbente, cōmentationem ordiaris. Quamobrem, non cruentat nos, ista loco probri nobis habita, talium raritas, dummodo eam res, quæ in sermone de raritate est consequatur.

Illud porrò quàm plenissimum loquacitatis, inanissimum prudentiæ est, quod nos Hæreseos, nullo indicio, nè te-

nè tenuissimâ quidem tanti facinoris suspicione; accersat; cum tamen nostræ cum sacrosancta Ecclesia Romana vnionis, exploratam atq; explicatam habent rationem omnes, quicunq; etiam hospites in Academia versantur. Nam si voluerimus spatium præteriti temporis respicere, & memoriam recordari vltimam, inde vsq; repetentes inueniemus, Academiam Crac. cum primis fundamentis, se quasi murum, Pragensi Husitanæ contagioni, opposuisse. Quæ, cum Vniuersam Bohemiam, inualescente Hæresis peste inuoluisset, etiam Poloniam spectabat, nisi Academia Crac. renascentem illam Hydram, fregisset, & contudisset. Hinc mos obtinuit, in primo in Academiam aditu, sub nomine Hussi, omnes Hæreses, quas cuiq; priuati conflauit opinio cerebri, eiurandi, & execrandi, sub cuius signis, non licet aliter nisi quisq; se tali obstringat Sacramento, stipendia mereri. Quid cum publicæ actiones, vel Academicorum honorum sortitiones, cõquisitissimo cultu, frequentissimo illustrium virorum conuentu habentur, non talia, palàm, media luce, in oculis, quorumuis nobilissimorum fieri, à quopiam cognouisti! nimirum solennem iurisiurandi pro Romana Ecclesia verbis conceptis emissionem? Sentisnè aliquando hæc tua pronunciata, Stoicorum pronũciatis absurdiora? Mihi crede, si vel tenuissimam suspicionem, ab Ecclesia discessionis, Academia de se præ-

buiſſet, ſi eam maculam, vel, cogitatione duntaxat in ſe ſuſcepiſſet, dubio procul, nunquam prædem illum perpetuum ſuæ incorruptæ in Deum religionis B. Cantium habere meruiſſet. Qui cum ad Diuorum ſanctimoniam, compoſitè ex hominibus abiiſſet, nunc mortalitate ſua exutus, clariſſimè videt, quæ olim quaſi poſt ſiparium ab imbecillitate humana obductum per fidem in ſcientiâ Theologicâ, de Deo loquebatur. Tantum lumen ex latebris Hæreticis erupiſſet? aut perfidiam ſuam Diuis cælitibus cõſociaſſet? qui quãtus ſit, docent hoc ipſum tabellæ, ſupplicantium votis expreſſæ, & ſacro eius cineri circumfuſæ. Reſipiſce aliquando, & tecum ipſe circumſpice, quàm impiè, quàm iniurioſè, nos ab honeſtate, religione, ſanctiſſimo Eccleſiæ cætu, ab ipſo deniq; Deo, maledictis tuis ſecernas.

Quod autem aliquis noſtrorum, à te in iudicium, corruptæ Vngarorum religionis vocatur, nimiùm ferox es naturâ, & crudelis, nullis hominũ peccatis, ignoſci putas oportere, etiam mutis cineribus nos cõdemnandos arbitraris. An verò ita ſe res habeat, vetuſtatem annalium in argumento leui non retexam, tantum habet apud me iſta tua ſuſpicio firmamenti, vt maiora nõ requiram. Tu ad inuidiam nobis conſciſcendam, tanto tempore, ex memoria veteri, cum nihil aliud habeas, reum ſuam à Deo imprudentem auerſionem, grauiter

expian-

expiantem reduces? Næ tu odiosus accusator, etiam Principem Apostolorũ cælo proscriberes, quòd sua illum infirmitas à Magistro suo, valde quàm inconsulte auerterat: Etiam sanctissimis fidei nostræ Doctoribus, notã infamiæ, ex vnius defectione appingeres. Explica veterem Annalium memoriam, quæ tàm sancta, tàm Deo cara fuit Congregatio, vt viam istam mundanæ contagionis, sine casu aliquo, aut prolapsione insisteret & ingrederetur? Quæ tàm concinna, tam elegans in corpore Ecclesiæ pars, in qua non aliquis næuus appareret? Tu hæc videns, non misertus humanam fragilitatem, continuò flammam & ferrum ad strumam illius sancti cætus exsecandam clamares? Non hominis nec ad homines ista vox est, sed ferrea, nec in religioso animo perferẽda.

Neq; potest hæc ipsius profusa ad contumeliam licentia, vno genere criminandi conquiescere, omnes mordacis Archilochi aculeos corrasit, quibus nos conficeret, cum Plebeios, & Nobilitatis hostes Tragicâ voce personaret; hic quid ille dixerit nondum attendo, quid cogitarit intelligo. Sperabat sibi posse aliquam auram afflari voluntatis, assensionisq; eorum, ad quos diceret, sperabat se apud nobilitatem ceruiculam suam iactaturum: quasi verò id defendendæ Nobilitatis, non verò alienæ tenuitatis exprobrandæ gratia, tam petulans, & audax, fuisset. Hic ego quid primùm querar? nunquid Dei

omnia perlustrātis auxilium, an nobilissimorum & prudentissimorum virorum autoritatem, implorem? Quid aggrediar, inter optimā conscientiam, & iniquissimam contumeliam destitutus? Defendam tam frigidam & illiberalem dicacitatem? Cuiquam fraudi & noxæ fuit splendorem generis, quod forte nobis à primo nascendi exordio datur, non accepisse? Respice Marium cui non obfuit quicquam ad virtutem & gloriam Reipub. præstandam, fuisse Arpinatem. sed togam sago non comparo. Possem plurimos alios recensere, quorum natalium obscuritas luminibus altissimæ gloriæ non offecit. Sed quid tu me ad ista vetera, (inquies) quæ iam ex ipsis chartis exoleuerunt, reuocas? Disce iam, si hoc primum addiscendi tempus nactus es; Alios per generis antiquitatem, & præclarissima suorum maiorum facta, ad suam nobilitatem, & lucem Reipub. processisse. Alios sanguine hostili madentes, præclarissima virtutum suarum trophæa in animis hominum ad posteritatem propaganda sustulisse: Alios tametsi non extulissent imagines hæreditariæ, per literas viam sibi ad illustrem & immortalem gloriā patefecisse; quorū domus, cum virtute & honore florerēt, propilæa signis & imaginibus pictis erāt vacua.

Sed quid tu mihi nobilitatem in religione ostentas? vbi non Emblematum multitudine, sed caritatis in Deum magnitudine certatur. Redeat tibi in mentem

illud

illud tempus cum dixiſſes. Voluntati, generi, fortunæ, cæterisq; alijs mundi delinimentis, viuens, & videns, libellũ repudij do. Sed hæc antiquiora, ſi fortè ex memoriâ effluxerunt, recentioris meminiſſe ſcripti tui potes, in quo dixiſti, non eſſe poſſibile, vt quisquam vno intuitu, cælum & terram tanto ſpatio inter ſe diſſita comprehenderit. Quid tu aliud facis, cum in vtrumq; ſimul cogitationis tuæ oculos defixiſti? Hoc eſt habitum non affectum, locum non votum permutare, quamdiu te non compones? quo vſq; ipſe tecum litigabis?

Sed quis tandem index tibi, plebeiæ in nobilitatem coniurationis fuit? vbi ſigna contra nobilitatem erecta? quando ad arma à plebeijs conclamatum? Vereor ne ex antiquitate criminandi plebem rationes conquiras, non metus, nemo te autore in Auentinum ſecedet, neq; nobiliſſimi Equites, per tuam iſtam vaniloquentiam tibi ſignum vllum alienæ à nobis voluntatis dabunt, non difflabit eorum in nos flabellum tuæ ſeditionis propenſionem. Nihil reliqui habebas quod ad calumniandi conſuetam rationem addidiſſes, niſi etiam parricidarum nomine apud Ordines traduxiſſes.

Jureconſulti, tam enormiter à te lacerati, aduocato in ſuâ cauſâ opus non habent, qui, ſi attulerint prudentiæ, & conſilij ſui neruos, ita te conſtringent, vt commouere te non poſſis. Vereor nè ad capſam tuam, quam

forenſi-

forensibus causidicis circumferebas, recurrendum tibi sit, an aliquid quod eiusmodi negotio subseruiat, aliquando annotaris: quanquam duas habes, alteram in qua lapides, alteram in quam tuæ maledicentiæ leges compegeris: Sed nimirùm non vidisti manticæ quod in tergo est. Habetis egregium Iurisprudentem, qui quod non nemo, nisi continuo labore, nisi solertissima, & ad stuporem maxima comprehenderit memoria, ille solus non Vlpiani, non Bartoli, aut Iasonis, sed alicuius (vt ipse fatetur) ex media plebe, circulatoris causidici vestigia legens, hoc suum pingue Ius concoxerit, & in pera ex humeris appenderit. Non didicisti aliud esse cautum Iurisperitum, aliud inconsultum Leguleium, illud prudentia, hoc autem impudentia comparatur, ab illo iudicium acre, ab isto non nisi os ferreum postulatur. At ne frustra operam suam in iure ediscendo collocare videatur, licet consulere, audiamus quid iste Iuris Patricij prudens cautor in grauissimo & florentissimo Equitum concilio producat. Schola noua opus esse propter æmulationem. Ita immitis es vt etiam in schola inimicitias exerceas, & nouam non Enthimematicè sed athleticè disputandi inducas rationem. Non bene vertat (inquit Socrates) quisquis Musas & Gratias dissociasti, quietem satius ad tractandas bonas artes, non æmulationũ dissidia meditere. At, æmulationem istam, sedatâ animorum tranquillitate,

tate,

tate, solere fieri dices? neq; tu hariolus es, neq; ego scio diuinare. Æmulationum si ita morosus exactor es, dicam, cum Diui Francisci, & S. Dominici alijsq; religiosis consectatoribus satis habemus, vbi hoc solúm agitur, vt quisq; Syllogismo alterius rationem ad assensum tanquam clauo affigat, non verò vt tu barbaro conuitio innocentiam configat.

Hic subitò ex consiliario patronus, & mensarum nostrarum instructor factus, à consiliarij officio grauissimo, ad patroni clementem indulgentiam, desultoriâ leuitate transcurrit: Bursam Pauperum, vnctius, & lautius, haberi vult, pœnitet namq; illum bonas horas malè collocasse, iam ad Philosophorum regulas quicquid superest ætatis, vult in Contubernio traducere. Optimè si ita deliberatum est consuluisti, honorem, quem tanto viro, haberi fas est, & gradum habebis, pro tua Lectura, præposituram, omnium suffragijs, & fauentium studijs nanciſceris, quod melius erit, quod ad stomachum tuum magis faciat, tibi soli deliges, vt quem modestia nostra mansuefacere non potuit, humanitas aliquando emolliat. Deum bonum, quam præclara se nobis, nihil eiusmodi suspicantibus, occasio de tanto viro, benè merendi porrexit. Sed iam versuram fecit, mutauit animum, se non magis Diogenem prandentem vile olus, quam Aristippũ genialiter victitantẽ velle esse protestatur. Iam

tur. Iam tu tibi ſaginam non diſciplinam proponis, magis vt palatum, quàm cor ſapiat contendis, maiorem in carnibus ſecandis, quàm argumentationibus ſoluendis operam collocas. Miſſum fac nos, tui ſenſus, cum noſtris non congruent rationibus. Pecuniam ſi quam habet, Contubernium, eam vſibus ſuis moderatis, non profuſis tuis voluptatibus accommodat. Boni patres familiæ viuendi rationem, ad ſuas facultates, non ad cuiusquam libidinem metiuntur. Edendum eſt vt viuas, non viuendum vt edas. Sed cum tibi eum ſcrupulum, qui te dies noctesq́; conficit, ex animo euello, attende. Non ita tauctum ſcias eſſe Contubernium, vt tibi luculentè caminus ille luceat. Pecuniam ſanctiſſimæ Annæ Iagielloniæ Reginæ liberalitate & aliorum benefactorum collectam, fundis, & aratorum bonis collocauit: quas coloniaſ, & arationes, ſi aliqua calamitate, aut militis, aut eluuionis erumpentis, mulctari contigerit, noſtram quoq́; communem fortunam, eadem tempeſtas corripiat eſt neceſſe. Addo, paucis abhinc annis illud Contubernium, fuit propter parietes ſuâ ſponte reuulſos, & ſubſidentes, è fundamentis excitandum. Cui reficiendo, tametſi non defuerunt, liberaliſſimâ prouiſione, primum Illuſtriſſ: ac Reuerendiſſ: D. Petrus Tylicki, commemorabili ſemper in nos pietate, deinde Illuſtriſſ: & Magnif: D. Thomas Zamoyski Palatinus Kiiouien: tamen magnam

magnam partem, ærarium Contubernij, ad eam rem, sui exinanitione contulit: ita quod fuit annonæ studiosis alendis coemendæ comparatum, lapides, cæmentum, operæ conductæ, confecerunt, vt ægrè admodùm post aliquot annos tanta temporum, & rei nummariæ difficultate sarciri possit, quod vnus hauserit. Prouisoresqu bus cura Contubernij fortunarum incumbit, quotannis Vniuersitati expensi proferunt tabulas, & tantùm abest, vt aliquid sui compendij causâ ex alienâ tenuitate abradant, vt etiam frequentius, de demenso suo, sibi auferri non prius intelligant, quam iacturam suam sentiant. Habes itaq; bone, Contubernalis victus, Modiperator fortunæ Contubernalis expositam rationem, & si voles Contubernio vti, ferenda non obtrectanda erit sortis communis necessitas, sin aliter, caue, ea curiosè, & malitiosè, in suspicionem adducas, quæ è tuâ re non sunt, nisi forte domi tuæ quod agas non habeas, propterea alienũ perfodiens parietem, omnes excutis angulos.

Jllud te benè multùm pupugit, vt necessum habeas cum omnibus in hoc maledicentiæ tuæ campo dimicare: sed vereor vnum etiam ex nobis minimis sustineas, qui si attulerint industriam excutient tibi istam non benè sanam verborum iactationem. Libertatem Academicam cum Regni libertate consociatam, aliquis nostrum appellarit? Quid tum? quasi necesse sit, in vno

 verbo

verbo fortunas Imperij disceptare: hic tuos arietes, quasi munitissima arx sit deijcienda, aut benè compactus murus quatiendus admoues; si libertatis Polonæ vos propagatores verum esset, hoc ipsum foret, vel quia Nobiles sitis, vel quia de libertate commentarios euulgastis, vel quia ad Serenissimi Principis Curiam, aliquot Doctores nostræ libertatis defensores procurastis. Chrysippæa hæc sunt profectò; habemus subtilem Carneadem, cuius acumini, si vnum verbum respondeas, non habeat quod vltrà promoueat. Non me pudet (vt te) mei generis & paupertatis; libros nullos de libertate fecimus, quippe in ea Repub. quæ non codicũ multitudine, quàm legum firmitate defenditur, in Curia nullum habemus; quia vnumquemq́; lex & consuetudo nostra, ita ad Cathedram adstrinxit, vt ne latum quidem vnguem, istinc absq́; loci amissione liceat abesse. Illud etiam accipe quia vitam speculatiuam ita suspeximus, vt ad negotiosam Actiuam minus simus idonei, cum aliud sit plectrum, aliud sceptrum, alia solis, alia lychni, alia solij, alia sellæ, scholæ deniq; alia, alia Curiæ ratio, desiderari malumus quam exturbari: præstat nobis itinera Gymnasij nostri, quàm fori & Curiæ nota esse, vt iam mihi videatur faciliùs Parochia cum scholâ quod tu negas, quàm Aula quod affirmas cohærere. Quapropter vbi tu me à negotio meo, nullo iure, consertum manu vocas, inde ego

te, ad

te, ad tuum, optimô, reuoco. Sed ne fœlicitatem Academicam tuâ causâ extenuem: fuerunt Theologi Academici, apud sanctissimæ recordationis Reges Poloniæ, Benedictus à Cosmin apud Sereniss: Sigismundum Primum, Ioannes Cleparz, Martinus Clodauita Viri in dicendo florentissimi diserti Ecclesiastæ apud Sereniss: Sigismundum Augustum; apud fortissimum Bathoreum Wielogorski, quem bellicosissimus Rex, velut alterum Nestorem magnus Achilles, etiam inter tumultus Moschouiticos, inter tubarum clangores, quasi cœlestem tubam secum habuit, in qua cura, & frequenti officij sui strenuè obeundi meditatione, in Moschouia excessit è vita. Quid commemorem Stanislaum Sokolowski, virum multiplici scientiæ laude florentissimum, cuius suauitatem sermonis, cum veritate coniunctam, Curia venerata est & admirata; quem posthumâ memoriâ, nunquam posteritati doctissima scripta eripient. Nos verò quid ad libertatem conferimus? si me interrogas, institutionem soli Nobilitati conuenientem, vt Deo, Principi, Patriæ suæ, tantâ se veneratione, fide, & caritate deuinciat, vt eorum gloriam, Maiestatem, integritatem, etiam vitâ sua ducat potiorem; vt ne quidquam ex cupiditatibus suis, sed ex rectâ ratione omnia moderetur, vt non prius quo fræno equus, quam quo affectus sui coerceantur sciat, ne in scena artificiosam simula-

 mula-

mulationem magis, quàm in Repub. apertam condiscat veritatem.

Habemus porrò istius nostræ informationis, præclarissima & ingenuorum cognitione maximè digna, in Politicis, Ethicis monumentis fundamenta, inde quisque officij sui, generis, & conditionis colligit, quibus postea, in consequente viuat ætate cum adiumentis ornamenta. Et quia prudentia, iustitia, temperantia, cæterisque consimilibus virtutibus, libertas florentissimi huius Imperij quæ tàm diu stetit, nunc felicissimè gubernatur, vbi conticuerit Academica vox, talia in teneram nobilitatis ætatem instillans, quæ gloriosos & felices ciues, matura ætate possent efficere, quid ab re fuit, vt tumultu areris, libertatem communem, accisis istis à quibus incrementa sumit præsidijs, propemodum elumbari?

Hinc perspicuum est, quàm non sit vlla causa, vt nos nullius ordinis in docendo accusares, Grammaticis ita nostra Iuuentus informatur, ne illis Priscianus ad maiora præripiat occasionem consequenda. Quid enim ad Nobilem, Reipub. commodis natam iuuentutem, quot remiges Vlysses habuerit, quid Syrenes illi præternauiganti cecinerint, quot annorum Priamus fuerit cum Troiam in suos cineres videret subsidentem, hoc nihil aliud esset, quàm per fabulosum aliquem Oceanum, longis erroribus sine portu iactari. Quamobrem

nobis

nobis alia proposita idq; compendiosior ratio, scimus enim Nobilem iuuentutem aureum Regni istius partum, ætatis suæ partem, bonis literis, Militiæ, Aulæ postea dedicare, non nostra causa, sed illorum est, qui se aliquid, quàm verò nihil malunt doceri. Itaquè quantum cuiq; per ingenium & industriam conceditur, instituuntur Rhetoricis, Dialecticis, non spinosis, sed simplicioribus & explicatis, præceptis: hinc illis ita informatis, patentior, & iucundior, ad Moralem, quæ sola scientia Nobilium est recluditur accessus. Iucunda erit viro Nobili, procedente ætate recordatio, sibi hæc præcepta aliquando proposita fuisse, quorum magnam vtilitatem nunc secum recognoscat. Minora tamen (quæ in grauioribus perficiuntur) non ita relinquimus, vt abijciamus, sed vt respectâtes identidem reuocemus.

Verùm aliam alia contumelia, tanquam ansa, ansam trahit, studiosam iuuentutem apud nos in omne licentiæ genus effundi, quæritur. hic se vehementissimè iactat, & inflammatus omnia tristissimis verbis oppugnat. Huic tam ferreo Patri, clementior aliquis & ad lenitatẽ magis factus Mitio quærendus, qui vadimonium pro adolescentiâ non deserat; sed vrgeri se fabulosis ineptijs non vult. Cuius fortassis apud illum grauior erit fides, Cicero patronus erit aduocandus, qui ætati illi, quæ per se præceps in vitia est, nisi nimium se effun-

dat, non

dat, non nihil conniuendum putat oportere. Sed neque istius tam graui testimonio putat conquiescendum esse. Sanctissime Pater Augustine te patronũ, te Iudicem contrà tui moderatissimi instituti professum grauiter in nos iniuriosum aduoco. Tu cum Carthagine viuâ voce ad eloquentiam informares iuuentutem, quæ paulò laxior erat, istius mali, vitiosæ iuuentutis consuetudinem Patronam esse dixisti, quod malum ab alijs intritum solis præceptoribus frequenter venit exedendum. Errat profectò, si quisquam ea duntaxat enormia putat peccata, in quæ aut inclementi, aut inuido intuemur oculo: quantò magis illa grauiora sunt, quæ frequenter frontis & supercilij ad pietatem compositi, integumento occultantur. Sentimus profectò malo nostro, quàm obstructio ista non sit diuturna, nec ita obducta, quam quisq; etiam in latebris suis cognoscere non possit. Ipsa Societas, quid non laboris, quid non tædij molestissimi, in refrænãda omnibus modis iuuentute suscipit? & quanquam præclarè sudata illa cedat industria, tamen non rarò vsu venit, vt non minorem illis, vnius alicuius Calcitronis licentia sollicitudinem afferat, quam verò modestia reliquorum voluptatem. Ex quo præclaram plerumq; præceptorum operam, quæ Ecclesiam aliquando illustrasset, ante ætatem cum vitâ, inter scholasticos mærores procumbere sit necesse.

Ad

Ad vos ego Religiosissimi Patres, qui ad Sancti August: Sanctissimum viuẽdi modum vitam vestram direxistis, cùm à cæteris virtutibus, tum ab omni moderatione celebratissimi, sermonem meum conuerto. Ordinem Vestrum Sanctissimum tanquam Montem Celsissimum, in quo illi benè complacitum esset Deus ad Sionem, hoc est Ecclesiam per admirabilem in Ecclesia Virum Augustinum Sanctum collocauit. Ex hoc monte in nos nihil tale expectantes, nunquam de minimo etiam Vestrum malè meritos, semper cum omnibus optimè consentientes, lapidibus pluit. Quàm multùm vereor, ne turbo iste omnibus conuicijs fæcundus, rursùm à nobis, quos grauiter consauciauit, saxeum imbrem in vestra capita refundat. Quid enim ille inausum, quid intentatum, cum in se audaciam confirmauerit relinquet? qualis erit in eos cum quibus viuit, quos nouit, quos obsistere sibi aut ad suam ambitionem, aut aliquid priuatum sciet, cum talem se in eos præstitisset, quos nũquam, nisi nunc improbè salutasset, cognouisset. Narrat doctissimus Plinius Valeriam dentatam quæ cum dentibus esset nata, responsum ab Haruspicibus accepisse, se fore exitio illi ciuitati, in quam delata esset: an non hoc oraculum, ab isto nobili conuiciatore, aliquid molestiarum vobis quietissimis portendat, vos met iudicate. S. Augustinus lumen & ornamentum, & muni-

mentum

mentum Ecclesiæ, sua peccata vniuerso mundo, huic maximæ rerum Vniuersitati, ne dum hominibus, sed etiam ipsi cælo, cum lachrymis, & suæ mentis olim amentis execratione narrat, res etiam à ratione & sensu semotas aduocat, vt cum nihil possint, ipsius crimina duntaxat, quibus aliquando Deum posthabuisset, sentiant & intelligant: iste autem optimus S. Augustini imitator, aliena quæ accusatoriè confinxit peccata, toti mundo odiosa loquacitate ostendit.

Vos nobilissimi Proceres lumina Reipub. Polonæ, quorum præsidijs & consilijs salutaribus, literæ nostræ ad hoc vsq; tempus innixæ feliciter egerunt, nunc grauiter alterius petulanti audacia consauciatæ, vestram semper spectatam in se beneficentiam requirunt, & implorant. Nolite permittere, vt ea, quæ sanctitas Sereniss: Regum tanto tempore confirmauit, nunc iniquæ detractationis procella peruertat. Vnum in Academia habuimus in Amplissimum Equitum Ordinem aut promerendi, aut referendi beneficij nobis collati locum, nunc omnia istius petulanti lingua, fœdata, horrida, tristia. Quo amplius conferemus nos? quo Musarum Sacra, in hoc inopinato tumultu, quem iste lingua sua quasi tuba seditiosa concitauit, recipiemus? Ad Honoris & Virtutis? at nos, & Musas nostras, virtute, Honore, non magis quàm Aqua & Igne sine quibus non viuitur,

viuitur, contumeliosa actione spoliauit. Ad Mineruæ? verùm nomine barbariei infames, quomodo Augustum, & venerabile illud sustinebunt numen? hic quoq; Ædilis Mineruæ, aris illius nobis interdixit. Libertatis? Verùm ab ista, quam à Sereniss: Regibus præclarissimã accepimus libertatem, ad seruitutem & oppressionem implacabili conuiciatoris odio rapiuntur.

Ad vos nobilissimi Proceres, vnicum hoc Vestrũ in Polonia Palladium Musæ Academicæ referunt, ad sensus Vestros prudentissimos, omnibus modis vexatæ, spoliatæ, iactatæ se se abijciunt. Nam si Policletus dicebat, molestissimum esse opus eorum, quibus lutum subit vnguem, quàm acerba, quàm tristia erunt Musis nostris (quæ cum honoris dignitate ante hoc tempus viguerunt) negotia, quas ab infimo vsq; ad supremum Capitis verticem, nè vlla pars in nobis honesta appareat, lutulenta impuritate infecit conuiciantis maledicentia; quæ calamitatis acerbitas, nusquam, nisi in vestra beneuolentia conquiescet. Vestram autem in nos beneficentiam, per quam quantumcunq; est in Academia dignitatis habemus, ipsæ literæ, ipse docentium voces, ad omnem posteritatem loquentur.

Varsaviam 1626 . 26 Febr.

Audio dixisse R^mum Legatum hic verba: Habebant
sapientes pro suo favore sententiam: Si haec ita sunt
negocio iudicium. Neque enim decet sedem summam
ad favores inclinari. Christus est Veritas, Via, Lux
Vicarius igitur Christi est Vicarius Veritatis Viae
atque lucis. Respectus ad personas quascunque aut fa
vores bene habet sunt densissimus. Fiant autem hic mun
dum iudicaturum de iudicio aut Rotae aut summi
Pontificis. Si quid diversum fiat, lapides etiam clama
bunt. Unionem nobis ne sanctus quidem Paulus per
suaserit, qui summus artes omnes sapientias tam probe
quam septuagenarius aliquis sapiens, aut eo plus. Re
valebuntur aliquando. Interim nos Philosophorum il
lud considerabimus: Ens, Unum, Verum, Bonum converti.
Magno intervallo distant Unum et Unitum. Unum est
Unum. Unitum multa continet. Lupus dum ovem
appetit, Unionem appetit. Vult enim carnem ovis
in suam hoc est lupi carnem converti. Mitto haec
Unum exemplar per occasionem tradet R^mo Legato.
Vale. Cracoviae 26 Febr. 1626.

BIBLIOTH. UNIV. JAGELLONICAE

SIN c CERE monis

Si quid habes Iesu vita ne quam tibi partem
Qui socium fingit latro vafer rapiat.

Gdy na Grob
[illegible] Bo[illegible]
pa [illegible]
wszystko [illegible]
Moi Vide X [illegible]
napisal.
lege in Dcca
notu
[illegible]

Biblioteka Jagiellońska
stdr0000560

Biblioteka Jagiellońska.